

quest. 19. & 92. August. tom. 5. oper. l. 15. de C. D. c. 22. & 23. tom. 4. in Gen. quest. 117. Scopus siquidem ipsius Historie, non Daemonum, sed hominum malitiam describit, eamq; divinitus vindicatam esse asserit, ut argumentatur Lyra ad hunc text. fol. vide D. Chrytræum in Genes. pag. 204. D. Gesnerum disp. 6. Gen. pag. 150. D. Rungium ad h. l. pag. 288.

Quid verò ad illud Joh. 8. Vos ex patre Diabolo estis; quod ad corporalem progenerationem quidam traducere ausi sunt? Respondeat Augustinus tom. 10. sermon. de temp. si. pag. 691. Patrem horum dixit Diabolum, non ex ipso nascendo: sed ipsius nequitiam imitando; non quod ex ipso potuerint nasci, sed quod eum voluerint imitari. Vtpote etiam ad locum, qui ex Tertulliano l. de carne Christi p. 28. objici poterat. Evictis igitur hisce perstat nostra Conclusio: Demones gignere non posse. Ut proinde gnathonum Pontificiorum audaciam mirari satis nequeamus, quod tam sonora mendacia de D. Lutheri ortu ad denigrandam cælestem doctrinam sparserint. Unum est; Diabolum in formâ mercatoris & artificis gemmarii, sic enim refert Vvier. l. 3. de præstigiis Dæmon. c. 24. p. 302. ex civis cujusdam filia Lutherum progenuisse. Alterum est; Lutheri matrem ex Diaboli coitu concepisse, qui aliquoties antea cum eâ fuisset congressus, quàm matrimonii fœdere viro jungeretur, quod refert Consarcinator Historie catholice de stat. relig. Pontif. S. Fontanus Th. Doctor. Quæ tamen liquida mendacia, quæ se mutuo interimunt, vel saltim unum ex illis, nisi novas finxerit ~~ἐπινοήσας~~, approbat Joh. Laur. Ananias Theolog. Tabernas l. 4. de Natur. Dæm. pag. 143. sic enim inquit: Plures præterea qui idolatriæ ac hæresium auctores fuere, ut & Lutherum hæresiarcham sic natum perhibent. Quod quam inimicum sit veritati, non solum ex supra dictis, & mutuo mendaciorum conflictu auditur; sed imprimis quoq; ipsâ acclamante experientiâ & βιογραφία, quam vivis coloribus D. Matthæius Theol. ~~παραλήκοτα~~ & expinxit.

B 2

Quod